

DE  
INTIMO RELIGIONIS ET REI  
MORALIS NEXU.



DISSERTATIO,

Quam

*Conf. Ampliff. Facult. Philos. Aboëns.*

PRÆSIDE

MAG. *FRANC. M. FRANZEN,*

HIST. ET PHIL. PRACT. PROF. REG. ET ORD.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

publice examinandam proponit

*JOHANNES ANDREAS QVIDING,*

Blekingus.

*In Audit. Anatomico die X. Junii MDCCCII,*

Horis a. m. confvetis.

---

ABOÆ, typis FRENCKELIANIS.





DE  
INTIMO RELIGIONIS ET REI  
MORALIS NEXU.

---

§. I.

**R**eligionem & rem moralem ita conciliari & posse & debere, ut hæc nihil præcipiat, quod illa non sanciat; illa autem nihil contineat, huic contrarium: nemo jam nostro ævo negabit. Nec facile dubitari potest, legem moralem, religionis functione sublata, ea carere efficacia, ut ad plurimos saltem homines vel dirigendos vel consolandos sufficere possit. Sed quæstio est nondum plene soluta; utrum lex moralis religioni, an religio legi morali inferenda sit? Facile quidem constat: voluntatem Divinam pro directo honesti principio non posse constitui: quomodo enim scire possumus, quid velit Deus, nisi vel rationem humanam vel externarum rerum naturam consulendo? Ad revelationem confugere, Philosopho, naturalem posituro legem, non licet. Neque veritas revelationis, nisi morali criterio, certe potest probari. Mysticorum autem immediatum cum

Deo commercium vel ad forum philosophiæ non pertinet, vel vanum est phantasiæ figmentum (\*).

Hoc ex una parte concessio: ab altera tamen persuaderi nequimus, rem moralem a religione in ipsa origine sua ita esse separatam, ut sine hac vel completa sit, vel firmo constet fundamento.

§. 2.

Principium, e quo omnis oritur quæstio moralis, est conscientia hominis, se liberum & rationalem sentientis. Quæ autem in se sola nullam invenit causam, cur hanc vel illam constituat legem moralem: hoc tantum pro certo confirmans, legem unicuique esse sequendam, universaliter probabilem. Physicam itaque hominis, rerumque externarum naturam ante expertus sim, necesse est, quam ratio mea mihi præcipere possit: hoc age, quia hoc, in hoc casu, omni rationis participi esse approbandum, persuasus es: totius enim orbis, in quo tu versaris, vel quem tu cognoscis, ordini & consilio id convenire, omni neglecta tibi propria cupidine, libere censes.

Num

---

(\*) Non e Cartesiana tantum schola, sed e Kantiana etiam prodiit Mysticismus, ab Ammone, Reinholdio, ceterisque vel Theologis vel Philosophis varie conceptus & propositus, ab omnibus tamen morali constitutus fundamento. Nos ideoque hoc loco non offendit: ceterum non multos jam valde impediturus.

Num vero libere? Nonne libertas animi humani perit, nonne ipsa rationis vis a physica rerum necessitate pendet, si ob eam causam hoc vel illud homini esse agendum statuit, quia id externo convenit rerum creaturarum ordini? Ut hæc quæstio solvi possit, discrimen faciendum est inter libertatem hominis legislatoriam & legi obedientem. Hanc tutam manere, etsi materia legis ab experientia petatur, mox apparet. Præcepti enim causa ab actionis causa distinguenda est. Quamvis illa sit empirica, hæc rationalis esse potest. Si honeste ago, non ob aliam causam ago, quam quia ratio mea, nullis mihi propriis consiliis illam moventibus, me obligat. Præcepti enim universalis fundamentum non ex meo desiderio, sed ex universo rerum ordine petitur. Aliud est, legis causa agere, ab experientia abstractæ, aliud, stimulo empirico ad legem sequendam incitari. Hoc facto libertas actionis tollitur, non vero illo, Prima enim obligandi vis apud honestum in ipsa ejus ratione quærenda est: quæ scilicet nil agere studet, nisi, quod universaliter approbari posse, sibi persuadeat. Quid vero est libertas actionis, nisi facultas rationalis, legis causa, nullo admovente stimulo physico, agendi?

Verum alia est quæstio de libertate hominis in ipsis legibus ferendis. Quas nempe sine ratione sufficiente non posse constitui, manifestum est. Hanc vero a priori non inveniri, sed ab experientia esse

petendam, æque clarum est: non enim spiritus fumus, sed homines, Quatenus igitur legislator est homo, ab externa rerum necessitate pendet. Cur, v. c., polygamiam prohibet? Quia mares & feminae numero fere æquales nascuntur, quia fines matrimonii, educatio scilicet liberorum & amicitia conjugalis, neque uno marito plures uxores, neque una uxore plures maritos habente, obtineri possunt.

## §. 3.

Egrediens igitur e quæstione conscientiaë meæ: quid agam, quatenus liber & rationis particeps sum? ad hanc pervenio conclusionem: externæ me subijciam rerum necessitati, rationis scilicet legibus ordinatæ. Quomodo autem? Animalem in societate humana exuendo licentiam, amorem, vindictæ cupidinem, ceteraque vehementissima & ipsi naturæ meæ insita desideria, juris vinculo obstringendo, patriæ causâ bona, honores, vitam, uxorem, liberos perdendo. Magna equidem sunt damna. Cur hæc faciam? Quia sum liber & rationis particeps. Quanto sunt feliciora bruta animantia! — Nonne vero me fallit ista rationis & libertatis conscientia? nonne aut vanum est phantasma? aut nihil aliud significat, quam me liberum esse ad voluptates eligendas exquisitissimas, me ratione gaudere ad illas callidissime & obtinendas & ordinandas? Quid absurdius, quam ut sensuali meæ naturæ rationalis repugnet?

Qui

Qui igitur sunt Dii isti, quibus tanta debeam sacrificia? Conscientia & ordo rerum naturalis? Quid illius origo? Sanguinis in corde meo agitatio? Quid hujus? Fortuita atomorum conflictio! Hæc scilicet sunt justitiæ fundamenta: cujus causa me miserum reddam! Haud fane ita stultus ero; sed Epicuri sequar doctrinam, nisi Religio me retineat. Hac enim sublata, nulla est disciplina, vel sibi ipsi, vel toti rerum naturæ magis consentanea, quam Epicuræ: quam igitur omnes Atheos, si philosophi sunt, & sibi consentiant, profiteri oportet.

§. 4.

Ponamus autem, tantam esse rationis practicæ vim, ut hominem quatenus se liberum in lege sequenda sentit, quodcumque sit ejus principium, ad virtutem exercendam necessarie incitet & cogat. Neque negandum est, homines educatione & consuetudine ita honestos reddi posse, ut legis causa sua doment desideria, omniaque sua officia sincere colant, nil curantes, quid eorum sit fundamentum. Sed hi aut externam tantum justitiam præstant; aut religionis obscura saltem vi ducuntur; aut grex sunt, non cogitantes, quid faciant, proxima sequentes vestigia bona vel mala. De his igitur, qui non nisi ducendū sunt, nulla est quæstio. Qui autem ipsi cogitant, qui principia & officii quæerunt & legis: num illi, his in ratione humana & in naturæ ordine inventis, sub-

subsistunt? Nonne longius progrediuntur ad causas inquirendas & rationis & naturæ rerum? Ubi vero finiri potest hæc inquisitio, nisi in Deo?

Pigram quidem rationem (eine faule Vernunft) illorum Kantius appellat, qui causas rerum naturalium extra naturæ ordinem ponunt. Quod certe ita male fit, & superstitionem alit: si rei, quæ physice explicari potest, origo quæritur hyperphysica. Sed æque pigra esse illorum ratio nobis videtur, qui ex orbe phænomenorum numquam egrediuntur: neque rationalis suæ existentiae; neque totius naturæ systematis causam noscere solliciti (\*). Non miramur,

(\*) Contendunt quidem novi philosophi, omnium idearum transcendentalium nullum esse usum *constitutum*, h. e. talem, ut certa denotet objecta. Quid vero est tota nostra ratio, si res sensuales ita transcendere non audeat, ut pone illas causam detegat intellectualem? Quam e sermone & actionibus hominis cujusdam de mente sua colligo notionem, num ficta est? Similiter, num harmonia, ordo, consilium, quæ in rebus creatis observo, nil sunt nisi commenta rationis meæ? Id tamen Kantius asserere videtur: *Die systematische Einheit* (rerum externarum) *ist lediglich, nur projektirte Einheit, die man an sich nicht als gegeben, sondern nur als Problem ansehen muss!* v. Crit. d. rein Vern. Transc. Dial. Anhang, alibique. Aliis tamen loci, ipse non negat, notionem Creatoris intelligentis, e rerum natura concipi nobis posse, quamvis completam Dei ideam non contineat.



mur, istos philosophos, qui in lege morali ferenda nullum ad res externas respectum esse habendum contenderunt, de causis harum nil quaesivisse. Id vero mirandum est, eosdem, cum in ratione pura omne invenirent principium morale, non explicasse, quæ esset origo rationis istius, ita absolute imperantis, ut ne ordinem quidam totius rerum naturæ curaret. Non sane est otiosa hæc quaestio, sed & theoretice & practice necessaria. Num enim nulla est rationis theoreticæ efficacia? Nonne ejusdem mentis, sponte activæ, facultas est? Nonne autem eadem est ratio, quæ scienda & quæ agenda ordinat? Cur igitur illa torpescat. Haud sane quiescit mens humana, antequam ultimam suarum quoque virium causam invenit. Deinde, cum vehementissima naturæ animalis vis, amor sui, absoluto subjicienda sit rationis imperio, sæpius intolerando; quid magis interest, quam quaerere: unde ratio humana tantam accepit auctoritatem? unde originem suam ducit?

## §. 5.

Quid igitur huic quaestioni responderi potest? Aut originariam esse rationis humanæ vim, qua non modo se ipsam producit & sustinet, sed toti etiam rerum naturæ leges statuit; aut fatum quoddam rationale existere ultimum & absolutum; aut divinam esse mentem æternam, sua sponte activam, omnis intellectus & rationis rationem sufficientem. **Prima**

B

autem

autem hypothesis, quam est absurda! Dii finus, nos pulvere nati, fortunæ ludibrium, vento mutato mortui! Altera, quid declarat? Nil. Omnem vero tollit & libertatem & virtutem. Quid nempe differt inter necessitatem physicam & illam, quæ frustra rationalis appellatur, si prima ejus origo e cœco fato derivanda est? Cur hanc potius, quam illam sequar: cur delectationem sensuum obedientiæ postponam legis immitis & fatalis?

Verum quidem est, principium contradictionis, quo nititur obligatio moralis, vim suam non perdere, etsi fatum omnis rationis causa statuatur: ita enim mens humana constituta est, ut ratio, per se sola agens, sibi contradicere non possit. Cum autem homo non mere rationalis, sed etiam sensualis sit: revera sibi ipsi sæpissime contrariatur, leges non servans, a se ipso latus. Sensus nempe rationem superant, in illo etiam homine, qui Deum esse credit rei moralis auctorem. Quæ igitur erit contra appetitus efficacia rationis, cujus origo e cœco ducitur fato? Practicam certe probabilitatem hæc hypothesis parvam habet. Num vero Theoreticam? Num vel cogitari potest fatum æternum absolutum & cœce necessarium, quod tamen rationale sit? Nonne est omnes confundere notiones, tale aliquid statuere? Aut tollenda est omnis ratio, ut quidam Epicuræorum, sibi constantes, intrepide faciunt: nil nisi sensum in homine esse omnis & veritatis & honestatis fon-

fontem, afferentes; aut omnis rationis, libertatis & honestatis origo in mente quærenda est, cujus summa est ratio, libertas & honestas, hoc est in Deo sapientissimo, potentissimo, sanctissimo. Ad religionem itaque res moralis, & practica & theoretica necessitate, ducit, neque illius carere potest sanctione (rationali scilicet): etsi meræ rationis principio tota fundetur.

§. 6.

Sed alius etiam est religionis & rei moralis nexus. Frustra enim contenditur, (ut supra observavimus) rationem solam non obligationem tantum efficere, sed ipsa præcepta quoque statuere posse. Quæ scilicet ab externa haurienda sunt rerum natura. Hæc itaque alterum est doctrinæ moralis fundamentum; cujus æque ac rationis quærere originem, hominis & practice & theoretice interest. Qualis igitur illa cogitari potest? Triplex: aut mechanica, aut idealis, aut divina. Ponamus mechanicam: hoc est, statuamus, universum sui ipsius esse causam cæcam & necessariam. Num rationi theoreticæ hoc placet? Num ita constituta est mens humana, ut in hac quiescere possit thesi: "catena est physicarum causarum infinita & æterna; ordo est & consilium in rerum natura manifestum, non vero menti alicui ordinanti debitum, sed e pulvere ipso, atomis, illorumque cæca agitatione forte exortum". Quid itaque

que est ratio humana, si universum nil est nisi conformatio fortuita atomorum? Quo igitur jure mentem humanam e pulvere extollimus? Si tota rerum natura nil est nisi machina, quæ suis viribus ipsa se sustinet: quid nos sumus, nisi machinæ? Qua igitur egemus morum lege? — Sed liberum & rationalem te ipse sentis. Recte. Legem itaque quæris moralem; illius vero principium non invenire potes, nisi in physico rerum ordine; hujus autem non est nisi mechanica origo. Quomodo in hoc circuitu impediri potes, quin ad cohortem animantium fervorum & brutorum relabaris? Num tibi consentis, num vel rationaliter contentus esse potes, si tu, libertatis & rationis conscius, legi te subjecis, cujus principium ultimum nil est, nisi cæca naturæ necessitas?

§. 7.

Constat ideoque, rationem & libertatem & virtutem hominis inania esse verba, si mechanica ponitur universi causa. Sed forte idealis est. Omnes igitur astrorum motus, terræ mutationes, mineralium, plantarum & animalium ordines, totaque hominum vita terrestris, non sunt nisi vanæ imagines, quas mens nostra sibi ipsa fingit. Unde vero hanc creandi facultatem accepit? Unde ipsa originem suam ducit? Huic quæstioni recentiores Idealistæ, (Transcendentales se vocant) non respondent. Quamdiu vero non respondent; hypothesis eorum philosophice non magis

gis sufficit, quam communi hominum intellectui consentit. Neque ad rem moralem applicatio illius facile est probabilis. Vim dicunt esse activam mentis, quæ & hujus ponit existentiam, & rerum omnium, quæ sensibus concipi creduntur: duas igitur in homine oriri naturas, unam rationalem, alteram sensualem, utramque tamen idealem, has vero inter se pugnare; virtutem ideoque in eo consistere, ut sensualem illam naturam, quam tamen ipsa sibi fingit mens, hæc quatenus rationalem se creat, superare conetur. Nonne vero lusus est tota hæc philosophia? Num vel libertas hominis ita intelligi potest, si non regulas tantum, sed objecta etiam actionum humanarum, non formam tantum, sed materiam quoque idearum suarum, ipse sibi creat? Aliquam certe causam creationis istius idealis esse oportet: aut fatalem quandam in natura spirituum, qui igitur non magis liberi sunt, quam si corpora forent, mechanicis acta viribus; aut rationalem in Deo, qui igitur illis totam hanc rerum naturam ante mentem pingit. Qui hoc contenderunt, Malebranchius & Berkeleyus: illi sufficientem saltem rationem idealismi sui proposuerunt. Neque hominis multum interesse videtur, utrum ope substantiarum (rerum per se, quas non cognoscimus), an alia via mundus corporalis ei appareat, modo persuasus sit aliud in conscientia sua esse internum & innatum, mentem scilicet, aliud vero externum & acquisitum, phaenomena. Sic enim libertas hominis, qui vel originariam mentis suæ vim, volun-

tatem rationalem, vel externarum rerum in sensus suos impressiones indeque exortas cupidines sequi potest, clara & certa conceptu est. Deus autem in omni casu ultima habenda est & mentis & phænomenorum causa; neque Religio a lege morali separari potest, etsi ideale ponatur materiæ quoque suæ fundamentum.

## §. 8.

Si igitur Deus esse creditur & universi & rationis humanæ auctor: res moralis & completa, & vera, & efficax erit. Ratio & libertas Divina hominis de sua ratione & libertate persuasionem certam facient; ordinisque moralis & veritatem & cum physico conciliationem ita probatam reddent, ut homo facile sibi persuadeat, officia sibi esse libere præstanda non sui commodi causa, sed divini consilii, in rerum natura elucens: confidenter sperans, quod in hac vita contrarium sibi videtur, in futura vita ita fore correctum, ut id etiam ad universam consonet harmoniam. Ita demum dignitas perspicitur naturæ humanæ. Supra bestias eminent homo, ut Dei in terra imago sit, legibus moralibus novum quasi mundum ipse creans, physico conformem.

Ad hanc vero conformitatem male refertur, ut homo bruta imitetur animantia: quæ quidem suum munus rite peragunt; homini autem non sunt exempla. Alia enim est illorum, alia hominis destinatio: Neque ad agrestes revertamur hominum non cultorum

rum mores. Ideam enim perfecti hominis, e natura quidem abstractam, quam vero natura ipsa in homine non præstat, nobis concipimus, quam veram efficere nitamur. Sic artifices phylicæ pulchritudinis formam absolutam e natura hauriunt, quamvis hæc nullum producat objectum, perfecte pulchrum. Quam formam in operibus suis exhibere student, naturam sequendo, sed idealem. Ut autem hos, cum pulchritudini student, turpitudinem in natura imitari non decet; sic nos mala, quæ in rerum natura occurrunt, haud excusant, si peccavimus. Quæ enim ratio, nos ad regulas universaliter probabiles libere sequendas obstringit, illa easdem e rerum natura ita haurit, ut, illas observando, & hujus auctori, & omnis sapientiæ, justitiæ & bonitatis exemplo, nos similes aliqua ratione reddere possimus.

## §. 9.

Concludimus igitur rem moralem, quamvis suis propriis principiis, libertatis scilicet & rationis humanæ conscientia atque physico rerum ordine nitatur, religionis tamen auxilio egere; quæ illa & firma reddat, absolutam eorum causam ostendendo, & inter se conjungat, ex eadem mente divina originem utriusque ducendo. Male itaque a recentioribus philosophis omnia Theoretica argumenta, Dei existentiam probatura, rejiciuntur. Quæ neque vi demonstrandi carent, si omnia simul sumuntur (cur autem separentur?); nec sine magno virtutis periculo explodun-

duntur. Quin, in ipsa Kantiana de moribus doctrina, aut Dei existentiam pro fundamento latere, aut manifestam esse principii petitionem, plures jam observarunt Philosophi, neque illi omnes philosophiæ criticæ inimici (\*). Virtus nempe urgetur, quam homo, non rationis tantum particeps, sed sensibus etiam obnoxius, pro impossibili habeat, necesse est: nisi Deum esse credat, qui illam cum felicitate perfecta conjungat, atque summum bonum, in quod homo intendere debet, in futura saltem vita, verum efficiat. Dei vero existentiam aliter probari posse, negatur, quam statuta lege morali, impossibilem istam præcipiente virtutem.

---

(\*) Das Gesetz der Sittlichkeit selbst werde wankend, wenn es einen Endzweck zu befördern gebiete, das für unmöglich erkant werden müsse, wenn nicht das Daseyn Gottes angenommen werde, wofür es sonst keine Gründe geben sollte. Der Gegner des Gesetzes der Sittlichkeit werde sagen: erst beweise mir das Daseyn Gottes, sonst gebeut dies Gesetz etwas unmögliches und kan also entweder kein Gesetz der Vernunft seyn oder diesen Endzweck nicht haben, wenn es ein Gesetz der Vernunft seyn soll. *Allgem. Litt. Zeit.* 1801 N:o 91. Cfr. Garve, *Veruche über verschiedene Gegenstände aus der Moral &c.* Th. I, pag 111.

---